

tutem & Dominationem & omne nomen, quod nominatur non solum in hoc, sed & in futuro seculo. Eph. 1, 20.

97. *Quæ verba Theophylactus explicans, ab infimo ait, ad celsissimum gradum, humanam, quæ Christo inerat, naturam subve-*
xit. De hac quippè Paulus disserit: Divina enim neque mortua fuit, neque suscitata, neque in sublime evecta, quippè quæ semper omnem excedat altitudinem.

98. *Et D. August. Tom. 8. lib. 3. de Symb. c.*
8. Quis est qui sedet ad dextram Patris? Homo Christus. Nam in quantum Deus semper cum Patre & ex Patre. Et quando ad nos processit, à Patre non recessit. Hoc enim est esse *DEVM*, ubique esse totum, non per diversa tempora vel loca ubique esse totum, ut modo ibi totus sit, & alio tempore alibi totus, sed ut semper ubique totus sit.

99. *Quod verò nonnulli ex Sacramentarijs, vel inviti concedunt quidem, sedere ad dextram Patris, idem esse quod regnare: at interim sub officio Christi latibulum quærunt, contendentes Regnare pertinere ad officium, quod totius Personæ sit proprium, servatis tamen naturarum proprietatibus: ex falsa definitione sessionis ad dextram, fucum lectori facere satagunt.*

Neque